

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:  
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam  
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus  
gerendum, disposita**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

Exordium

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

DOMINICA JUBILATE.

*Evangelium, Joh. 16. v. 16. - 23.*

EXORDIUM.

**S**icut olim Rex Saul à Spiritu malo, qui est Spiritus mœroris, angore animi exagitatus fuit, idque ob maleferiatam conscientiam: Ita ex adverso David, præ animi voluptate gavisus, Cythara lusit, gaudebat enim in variis suis ærumnis conscientia bonæ voluntatis, quæ jubeat convivium, Prov. 15. vers. 15.

In prælecta Pericope Servator Regni sui confortibus varias tribulationes & persecutiones annunciat, quas in mundo immundo præ se habituri sint, attamen vicissim consolatur eos, ne animis cadant, sed Davidis Cythara arrepta, Spiritu ferventes, spe gaudentes, & in tribulatione patientes semper sint, Rom. 12. v. 12. ait enim ille ad Discipulos: Vos nunc quidem tristitiam habetis. Verum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.

Hinc pii Veteres hodiernam Dominicam suavi nomine insigniverunt, dum eam Dominicam *Jubilate* appellarunt, ex Psal. 66. v. 2. *Jubilate Deo omnis terra, Psalmum dicite nomini ejus.* Quamvis enim tribulationes & calamitates piis non desint, siquidem Evangelium verbum crucis est, 1. Cor. 1. v. 18. attamen animus bene conscius optimum eorum est solatium, & quia non patiuntur, quasi homicidæ, aut

fures aut malefici, sed ut Christiani, non habent quod erubescant, 1. Petr. 4. vers. 15. sed lætantur potius, quod digni habeantur pro nomine Jesu contumeliam pati, Act. 5. v. 41.

Impii vero, qui mundo serviunt, & in concupiscentia oculorum, concupiscentia carnis, & superbia vitæ gaudium & delicias quærunt, ut dives epulo, Luc. 16. v. 19. destituuntur verò internapace, & conscientia furis die nocteque agitantur: exterritus coram hominibus, utur lætitiâ ostentent, & Jubilate cantent: attamen tristem tandem sortiuntur exitum: Ubi enim mensuram suam peccatis repleverint, & ritu mundano ætatem suam transegerint: tandem fletus & stridor dentium sequetur, quod sentient in æternum, Matth. 22. vers. 14.

Quo hoc ipsum melius discamus, ad prælectam Pericopen accedemus, vituri

- I. *Triplicem Querelam.*
- II. *Triplicem Medelam.*
- III. *Triplicem Cautelam.*

J.J.

*Exegetis.*

**Q**uemadmodum stellæ in firmamento, non interdiu, sed noctu visuntur: Ita & internus Christiani ornatus non tam